



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

§. Vltima ratio principalis ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

nenter, si sit admixta imperfectione, ut sunt perfectio creaturarum, aut formaliter, si imperfectionem non habeat, ut re vera non habent relationes diuinae. Deinde haec continentia non potest esse solum, quia habet huiusmodi perfectiones sibi unitas, licet ab illa distinctas, sic enim entitas ipsius essentiae non esset formaliter omnino perfecta: sed quasi indigeret aliis entitatibus a se formaliter ex natura rei distinctis, quibus perficeretur, & saltem dubitari non potest, quin multo perfectior sit illa res, quae in sua entitate independenter ab alia distincta habet omnem perfectionem possibilem: atqui essentia diuina est summe & infinite perfecta non solum realiter, sed etiam ex natura rei, id est ex natura propriae excellentiae, & eminentiae: ergo relationes illae, quae sunt perfectiones non solum debent identificari cum diuina essentia realiter, sed etiam ex natura rei sed ea, quae identificantur, eo modo, quo identificantur, non distinguuntur inter se: ergo si relationes identificantur non solum realiter, sed etiam ex natura rei cum essentia; neque realiter, neque ex natura rei distinguuntur ab illa illa consequentia patet; quia ideo diuina essentia est idem realiter cum relationibus, & cum omnibus perfectionibus formaliter existentibus in Deo, quia diuina essentia realiter est summe, & infinite perfecta a se, & per se, quia est talis simplicissime per suam ipsam entitatem realem: atqui diuina natura non solum realiter, sed etiam ex natura sua formalissime, ac proinde ex natura rei est infinite perfecta: ergo non solum realiter sed etiam formaliter ex natura rei, & ex natura sua est idem cum omni perfectione formaliter existente in ipsa, quales sunt relationes, & attributa: maior adeo est evidens ut nullo modo possit negari ab Scoto, nam ipse tribuens rationem, quem omnes Scotistae in hoc sequuntur, cur Deus non distinguatur realiter tanquam res a re a relationibus, & attributis, asserit quia Deus est infinite perfectus, ita ut si non identificaretur realiter cum omni perfectione sine imperfectione esset imperfectus; unde creaturae propter suam imperfectionem distinguuntur realiter a suis perfectionibus, & sic indigent alio a se distincto ad sui perfectionem: ergo ideo Deus secundum veritatem, & secundum opinionem aduersariorum identificatur realiter cum relationibus & attributis, quia realitas, & entitas diuinae essentiae est infinite perfecta, hoc est realiter talis.

Minor illa, ut discursus sit demonstratio solum indiget probatione, quae in §. sequenti, ponitur.

§.

Ultima ratio principalis ponitur.

Nam diuina essentia non ex natura alia, & per aliam entitatem, sed ex natura sua, & quatenus formalissime distinguitur a quacunque alia non est imperfecta, sed potius infinite perfectissima; atqui si ex natura rei & ex natura sua formalissime non esset omnis perfectio sine imperfectione, & non identificaretur omnino a parte rei cum illa, sed potius distingueretur ex natura rei formaliter ab illa, ex natura rei formaliter esset imperfecta, & non esset infinite perfecta; quia quod imperfectum est, infinite

I. P. Tom. II.

perfectum esse non potest: ergo Deus non solum realiter, sed etiam ex natura rei formaliter est idem cum omni perfectione sine imperfectione, qualis est relatio, & attributum.

Minor in qua est difficultas, sic demonstratur; quia ideo Deus esset imperfectus realiter per vos, & secundum veritatem ipsam etiam si haberet quamcunque perfectionem, si distingueretur realiter a perfectione sine imperfectione; v.g. ab attributis, & relationibus eo modo, quo dicebat Gilbertus Porretanus, quia non identificaretur cum illis realiter, quas haberet; & ratio a priori est, quia etiam si haberet omnes alias, dum tamen distingueretur realiter ab illis, deficeret a Deo maxima alia perfectio, scilicet identitas realis cum eisdem perfectionibus, quas haberet formaliter; cum autem imperfectum sit id, cui deficit aliqua perfectio sine imperfectione; inde est quod Deus licet habet omnes alias perfectiones, si non haberet identitatem realem cum illis, esset imperfectus realiter; atqui per vos licet realiter habeat identitatem cum omnibus perfectionibus, nihilominus deficit illi alia perfectio sine imperfectione, videlicet identitas ex natura rei formaliter cum illis: ergo licet habeat identitatem realem, & reliquas perfectiones, quas conceditis, nihilominus erit imperfectus ex natura rei, quia ex natura rei non habet identitatem cum illis etiam si habeat identitatem realem cum eisdem, patet euidenter consequentia: quia ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus vel quasi effectus formalis; atqui in nostro casu contra vos datur eadem ratio formalis ex natura rei, quae dabatur contra haereticos in vestro argumento ad probandum dari imperfectionem in Deo; tota enim ratio erat, quod deficeret identitas realis cum omni perfectione, cuius defectus imperfectio est, quia identitas, cuius defectus est perfectio est; atqui licet datur identitas realis, deficit identitas formalis ex natura rei, quae est perfectio sine imperfectione, & sic defectus illius erit imperfectio: ergo datur eadem ratio formalis, videlicet defectus perfectionis: ergo datur idem effectus, vel quasi effectus formalis, scilicet Deum esse defectuosum, & imperfectum; hic discursus demonstratio est.

Urgetur; quia si vos concederetis omnipotentiam, & reliquas perfectiones diuinas in Deo, & solum negaretis sapientiam, sine dubio Deum imperfectum faceretis, quia concederetis defectum alicuius perfectionis, scilicet carentiam sapientiae; atqui in nostro casu licet concedatis omnes relationes, & attributa, & identitatem realem cum illis, negatis tamen aliam perfectionem maximam, scilicet identitatem ex natura rei cum eisdem, ac proinde conceditis defectum, & carentiam huius perfectionis in Deo: ergo conceditis, Deum esse, & constitui a tali defectu defectuosum, & imperfectum.

Confirmatur amplius, quia etiam si concederetis sapientiam cum reliquis attributis, si illam non concederetis in gradu summo quae vocaretur omni sapientia, & ratione talis summitatis, & omneitatis, ut ita loquar, excluderet omne sibi oppositum, non solum realiter sed etiam ex natura rei, videlicet quamcunque ignorantiam, etiam minimam, siue realiter, siue ex natura rei, sine dubio poneretis Deum imperfectum, quia poneretis eum cum defectu alicuius perfectionis,

n

tionis,

tionis, scilicet summitatis sapientiae & emneitatis illius, cui debetur exclusio omnis oppositi: sed in nostro casu, licet concedatis tot perfectiones quales sunt relationes, & attributa & identitatem realem cum illis, nihilominus non conceditis summam identitatem, quae omniidentitas dicatur, cui debeatur exclusio omnis, & cuiuscumque distinctionis, siue realis, siue ex natura rei formaliter inter diuinitatem, & illas perfectiones: ergo ponitis defectum alicuius magnae perfectionis in Deo; consequentia patet à paritate rationis inter omnisapientiam excludentem quamcunque ignorantiam, siue realiter, siue ex natura rei, & inter summam, & omniidentitatem &c.

Dices, non esse perfectionem siue imperfectionem talem omniidentitatem, quia Deus incapax est illius: sed licet hanc solutionem evidenter labefactauerim supra disp. 2. de ente, quæst. ultima, *Verum ens ex natura rei distinguatur à suis inferioribus*, nihilominus tamen breuiter sic illam oppugno; quia id quod actu datur in Deo formaliter est perfectio siue imperfectione, ac proinde falsum est dicere, Deum esse incapacem illius; quia ab actu ad potentiam evidens est consequentia: sed inter diuinitatem & Deum, hoc est inter concretum & abstractum diuinitatis datur non solum identitas realis, sed etiam formalis ex natura rei; item evidentiarius ipsi Scotista contra Caietanum firmiter docent, & efficaciter probant, actum liberum diuinum seu decretum efficaciter habere identitatem, non solum realem, sed etiam ex natura rei formaliter cum actu necessario, & cum ipsa diuina essentia: ergo omniidentitas diuinæ essentiae cum perfectione absoluta excludens distinctionem ex natura rei inter illas est perfectio siue imperfectione existens actu in Deo, ac proinde falsum erit dicere, Deum esse incapacem illius &c. Præterea quia ipsi Scotista in essentia diuina concedunt gradus, & in vnoquoque attributo, ratione cuius incomprehensibilitatem diuinam defendunt, & nihilominus tales gradus magis, & magis cognoscibilitatis in essentia, participabilitatis in omnipotentia, amabilitatis in bonitate iustitiæ &c. nullo modo distinguunt ex natura rei à perfectionibus quarum sunt, & sic possunt proferri sexcenta exempla inter quæ evidentissimum est illud, videlicet quod ratio entis in Deo formaliter existit, quæ ratio adeo est indiuisibilis & simplex, vt nullam in se ipsa distinctionem, neque realem neque ex natura rei admittat: ergo non solum Deus est capax omniidentitatis inter perfectiones, & non solum illa est possibilis respectu Dei, sed necessario habet illam, quia in diuinis idem est esse, ac posse.

Tertio efficacius sic argumentor; quia friuolum esset, & omnino falsum, & chimericum dicere, licet Deus sit capax sapientiae esse tamen incapacem summæ sapientiae excludentis omnem & quamcunque rationem sibi oppositam; & idem est in iustitia, misericordia, & sanctitate & ratio est, quia Deus ex eo quod sit à se, debet ita habere omnem perfectionem, vt in vnaquaque perfectione habeat summum gradum illius excludentem omnem, & quamcunque rationem, etiam minimam oppositam illi, siue realiter siue ex natura rei formaliter vt videre est in omnipotentia, seu summæ virtute efficaci ad producendum, quæ excludit omnem, & quamcunque

minimam impotentiam siue realem, siue ex natura rei, & in omni, seu summa simplicitate excludente quamcunque minimam compositionem ex natura rei formaliter &c. sed Deus quia Deus est, petit identitatem, & est capax illius respectu attributorum &c. ergo chimericum, & fictitium est dicere Deum incapacem identitatis, & habentem illam inter suam essentiam comparatam cum relationibus, & attributis esse incapacem siue minime, & omniidentitatis excludentis omnem, & quamcunque etiam minimam distinctionem, siue realem, siue ex natura rei formaliter inter essentiam, & perfectiones; vnde perinde est dicere, Deum esse incapacem identitatis in illo gradu summo excludente quamcunque distinctionem, ac dicere, Deum esse incapacem summæ perfectionis in aliqua perfectione sibi conueniente, ac proinde esse defectuosum, & imperfectum quod euidenter patet; nam si in quacunque alia perfectione præter hanc, de qua disputamus, dicerent id, quod dicunt de hac, ipsi maxime errarent & Deum imperfectum ponerent, imo vtpotè catholici si ab alio id audirent, maxime irascerentur, & scanderent, acriterque inueherentur in talia proferentem: ergo idem dicendum est in nostro casu, siquidem nulla disparitatis ratio poterit rationabiliter reperiri, vt manifestè patet ex dictis: maneat igitur firma nostra veritas, & immobilis propugnata efficacia ratione originem ducente à P. Dionysio locis supra citatis, & incipit cap. 7. & 8. ibi: [age vero si videtur, veram æternamque vitam, & vt sapientem & vt sapientiam ipsam laudemus, atque adeo vt omnis sapientia procreatricem, & omni sapientia intelligentiaque superiorem propter perfectionem omni perfectione, & excellentia laudabiliorem; dicamus ergo, Deum esse vim, ac potentiam, quod vim omnem in se ante habeat, & quæ infinita perfectione polleat omnia superante.

Ecce quomodo Dionysius prædicationem abstracti de concreto, & e contra reuocat ad infinitam perfectionem Dei excludentem omnem imperfectionem distinctionis, & includentem omnem perfectionem summæ identitatis ex natura rei formaliter.

Propter eandem rationem idem docent S. Augustinus illis verbis, [Deum esse magnum ea magnitudine, quæ est id, quod ipse.] S. Fulgentius indiuiduus comes, & assecla Augustini illis verbis [Deum & tres personas esse vnā veritatem, non solum quia illam habent: sed quia illa ipsa sunt & à sua veritate non distinguuntur.] quæ duo loca adducit D. Bernardus *sermone* 180. in *Cantica*; appellatque validissimum malleum hæreticorum, & ipse S. Bernardus *lib. 5. ad Eugenium columnam* 7. inquit [personarum proprietates sunt ipsæ personæ, & non aliud, quam illæ, ipsæque non aliud, quam vnā diuinam substantiam dicimus, & vnā diuinam naturam fides catholica confitetur, non est in Deo, nisi Deus; quid negas habere diuinitatem? Non, sed quod habet, hoc est.] Sanctus Damascenus *lib. 1. fidei cap. 11.* ait: [Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse ipsam diuinitatem.] S. Anselmus in *Monologio*, cap. 43. in fine dicit [Patri, & Filio non aliud esse habere essentiam, quam esse essentiam:] & S. Nazianzenus *oratione in sancta Trinitate*, inquit [tria sunt ea, quæ ipsa diuinitas est.] Et S. Hilarius 8. de *Trinitate*, paulo post medium, lo-

quens

quens de Patre, sic docet [non humano modo, ex compositis Deus est, ut in o. aliud sit, quod ab eo habetur, & aliud sit ipse, qui habet sed totum quod est, vita est.

S.

Secunda pars explanationis Scoti refutatur.

Quia solutio illa Scoti volens explicare principium, quæ sunt eadem vni tertio, fundata in supposito falso, §. superiori latè impugnatum, non soluit difficultatem; quia, principium illud, si ex creaturis sumatur, ut optime aduertit P. Suarez, etiam in his, quæ sunt idem realiter cum vno tertio, & solum distinguuntur formaliter, vel modaliter concludit inter se esse eadem realiter, & ad summum formaliter, vel modaliter distingui; unde ut melius percipiatur difficultas, sumatur illud principium, ut affirmatiuum quidem (quia hoc maximè necessarium est, nec aliter potest fieri; quia principium hoc essentialiter petit) non ut purè affirmatiuum, sed adiuncta negatione hoc modo; quæ ita sunt eadem vni tertio, ut ab eo realiter non distinguantur, ita etiam sunt inter se idem, ut inter se realiter non distinguantur, licet distinguantur formaliter, quia formaliter non identificantur in tertio, & ratio est manifesta, quia conclusio non debet effici nisi in virtute medij, & secundum id, quod medium solum in se continet; quia cum medium sit causa concludendi, & causa non det, nisi id quod continet, neque effectus habeat aliquid, quod non accipiat a causa, cum sit totus participatio causæ, inde est, quod in conclusione solum debet alii identitas realis inter extremi, quia medium ad talem identitatem est identitas eorundem extremorum realis cum medio, & non formalis, quod inductione constabit in omnibus, & incipiendo à diuinis ad hominem euidenter argumentor contra Scotum, & Scotistas; quia hoc est verum; iustitia diuina identificatur realiter cum Deo; misericordia diuina identificatur realiter cum ipso Deo: ergo realiter misericordia, & iustitia identificantur inter se: ecce quomodo ex identitate reali duorum extremorum cum tertio concluditur euidenter identitas realis inter extrema, & nihilominus in sententia Scoti eodem modo distinguuntur iustitia, & misericordia à Deo formaliter ex natura rei, sicut relationes Paternitatis, & filiationis à diuinitate: ergo explicatio Scotica est falsa, quod principium non habeat verum in tribus personis respectu diuinitatis ut identificentur inter se realiter, ex eo quod Deus distinguatur formaliter ex natura rei à tribus diuinis personis; quia inter iustitiam, & misericordiam respectu Dei militat eadem ratio, & nihilominus colligitur ex identitate reali cum Deo identitas realis iustitiæ cum misericordia, non obstante distinctione formali ex natura rei inter iustitiam, & diuinitatem, & inter misericordiam, & eandem naturam diuinam; ergo alia ratio disparitatis tribuenda est, & alio modo explicandum axioma.

Deinde in creatis quia actio est idem ac motus realiter, & passio est idem realiter cum motu, actio & passio sunt idem realiter inter se, & nihilominus actio, & passio in sententia Scoti distinguuntur formaliter ex natura rei à motu; & ideo licet colligamus identitatem realem inter

actionem, & passionem, non colligimus identitatem formalem ex natura rei, inter ipsas, cuius ratio euidentis est; quia in medio non datur talis identitas formalis ex natura rei, videlicet actionis, & passionis respectu motus; cum autem conclusio non debeat elici, nisi ad mensuram medij, inde est quod sola identitas, quæ datur in medio actionis, & passionis cum motu debeat elici in conclusione inter actionem, & passionem, & non alia. Tandem ut relinquamus alia sexcenta exempla admissa ab Scotica Schola; existentia, & indiuiduatio Petri identificantur realiter inter se, quia identificantur realiter vni tertio, scilicet Petro etiam si distinguantur formaliter ex natura rei ab ipso. Præterea rationale, & animal identificantur realiter inter se, quia realiter identificantur in vno tertio, scilicet in homine, & etiam si formaliter ex natura rei distinguantur inter se, quia distinguuntur similiter ab illo tertio formaliter ex natura rei: ergo eo modo, quo identificantur cum tertio, debent identificari inter se non obstante quacumque distinctione ab illo.

Neotericus quidam in manuscriptis in metaphysica explicans hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio &c. *quæst. 6. §. secunda sententia*, sic enervare contendit hanc oppugnationem contra Scotum: [sed hæc impugnatio vniuersaliter dicta mihi videtur insufficiens; quia materia, & forma sunt idem realiter vni tertio, & nihilominus distinguuntur realiter inter se.] Sed contra manifestè, quia hæc instantia est falsissima, nam vni nullo modo identificatur cum materia & forma, neque materia, & forma identificantur cum illa, sed potius sine vlla identificatione cum vnione distinguuntur ex natura rei ab vnione; quod latè probò in physicis *disp. de vnione*, & & quod caput est ipse neotericus sui immemor, latè probat ibi contra Thomistas, vnionem non identificari cum materia & forma, & ratio est euidentis; quia etiam si vnio distingueretur ex natura rei à materia, & forma si ex alio capite identificaretur realiter cum illis, nunquam posset destrui vnio inter materiam, & animam rationalem existentibus illis, & non destrui etis: sed perueuerantibus in esse, ut patet euidenter in sententia Scoti, qui concedit animal hominis, & rationale illius distingui ex natura rei ab homine, & nihilominus asserit, ut iure optimo debet asserere, nullo modo posse destrui hominem existentibus animali, & rationali ipsis; quia licet ex parte distinctionis poterat hoc contingere, nihilominus tamen identificatio realis impedit talem destructionem, & idem est de actione, & passione respectu motus, imò in sententia omnium, etiam si per impossibile personæ diuinæ possent corrumpi, non posset corrumpi vna, non corrupta alia; quia licet inter se distinguantur realiter, identificantur tamen in vno tertio, scilicet in diuinitate, & e contra non posset corrumpi diuinitas, existentibus personis, quia diuinitas identificatur realiter cum illis, sed vnio identificatur realiter per vos cum materia, & forma: ergo non potest corrumpi vnio existentibus materia, & forma; sed quando mortuus est D. Petrus desinit esse, & corruptus est, non quia desinit materia, & forma, cum adhuc perseuerent, sed quia solum corrupta est vnio inter materiam & formam rationalem D. Petri: ergo vnio non identificatur realiter cum partibus, quas vnit; cuius argumentum etiam est in sententia huius neoterici, quod vnio educatur